

& furantur, ut sic, quemadmodum aiunt, se aduersus illum Deum, qui zizania & mala in mundum immisit, vlciscantur. Ita peruerso planè animi iudicio, & nullo conscientiæ sensu præcipites in omne mali genus non modò feruntur, sed sponte prudentésque ruunt. Atque hæc Antitacstarum discipulorum caterua Cainorum præceptorum furores mirè auxit, de quibus Antitacatis & Theodoretus libro 1. & Clemens libro 3. Stromat. agit. Alii ab iisdem Cainis profecti dicti sunt Peratè à Peratico Euphratensi, & Ademe Carystio, qui præter Cainorum errores dixerunt Christum fuisse Tricorporem, propter tres diuersas mundi partes, quibus constat, ut aiunt, Christi corpus: & duplicem esse mundum, unum ingenitum: alterum genitum, quem vocant specialem, & huiusmodi quasdam ineptissimas fabulas fingunt, & rerum ortum ex Agennesia, quam vocant, de quibus vide Theodoretum libro 1. Hereticar. fabularum. Alii aliis nominibus, ut Monoimi, qui à Monoimo Arabe ita sunt appellati, videntur ex eodem cœno errores suos, quos Arithmeticorum numeris confirmare conantur, hausisse. Ex quo sit mihi verisimile, ut etiam scribit Epiphya. in hæresi Sethianoru, primum in Ægypto ortum esse hoc malum, & in vicinas gentes deinde effusum, adeò ut in Orientē ipsum penetrarit, sed tamen Asiam potius quàm Europam corruperit. Interpolata autem nouis sectatorum nominibus, Cainorum hæresis proprium nomen amisit. His contrarii sunt Abelitæ, vel Abeloitæ, de quibus infrà.

I Dicentes enim.) Si qua unquam hominū phre-